



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio  
Perfectionis Libri Dvo**

**Crombecius, Johannes**

**Mogvntiæ, 1614**

XXXVII. Proponuntur industriæ octo, quibus gratia, virtutes, ipsaque  
Perfectio egregie augeantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

super meritum nos compensat: longeque plura illic percipiemus, quam vel cogitatione consequi valeamus. Quare si quis viator sese in Caritatis operibus plurimum exercuerit, in abstinentia vero admodum parum; abstinentie habitus hic exilis, est Caritatis maximus atque intensissimus: at in cœlo vterque æqualis erit, ut animi motuum consentiens proportio confiet. Quod si quis intenderit hic habitum abstinentie, remissius Caritatem exercuerit, abstinentie habitus non erit in cœlo intensior: quia omni opere virtutis infusæ crescit Caritas, quæ velut cisterna ceterorum fontium aquas recipit & conseruat, & velut variorum fluminum confluxu intumescit, & quasi ingens pelagus exundans, singulis riuulis sese reddens ac insinuans.

*Simile.*

C A P. XXXVII.

*Proponuntur industria octo, quibus gratia virtutes, ipsaque PERFECTIO egregie augeantur.*

34. **H**Æc incredibiliter mouere atque accendere deberent PERFECTI-  
NIS studiosos ad virtutum exercitium: quandoquidem singulis actibus gratia in animum influat, virtutes augeantur, nosque facilitate ad bene agendum acquiramus: Deus etiam ipse eo munificentior in auxilio præstando futurus sit, quo ei gratiores & amiciores futuri sumus.



simus: tales autem nos per bona opera fieri, ex-  
 controuersiam est. Merito igitur imitari *Simile.*  
 mercatores decet, qui in sua negotiatione in-  
 dultas quærunt ad maius lucrum opportunas:  
 quas ubi nacti sunt, plus vno die, quam antea  
 centum, consequuntur. Videamus an aliquas  
 uenire possimus, quibus adiuti multa magnaq:  
 spiritualis negotiationis nostræ præmia ac lucra  
 reportemus.

Prima industria est, ut eos imitemur ne- *Spiritualis*  
 gociatores, qui, si potentes non sint, nec à pecu- *negotio-*  
 ni bene instructi, occasiones multa emendi *ris indu-*  
 exiguo pretio, & magno reuendendi, aucupan- *stria octo.*  
 tur: alia perdunt quod opulenti lucrantur. Ita- *I.*  
 que danda opera est ut potentes simus fide, & *Vita san-*  
 virtutibus locupletes: sic enim vno actu plus *ctitatem*  
 acerbimur, quam alij centum, vel etiam mille: *augere me-*  
 quis enim erit excellentius, venditioque & *ritum.*  
 contractus rei ingentis & præcellentis: fænera-  
 mur enim Domino, & cum eo, inito contractu,  
 mercamur, non semissem, ut in venditione rei  
 exigua, sed aliquot millia, ob quantitatem quæ  
 traditur, lucraturi. Qui enim magni apud  
 Deum sunt, & magna, ardua, heroica operan-  
 tur, (talibus enim mercibus delectatur Domi-  
 nus) illico magni euadunt: nam Dominus soluit  
 tempore: parataque item ipsi rursus pecunia  
 continenter negotiantur. Deinde opus, ceteris  
 rebus, tanto gratius est, & magis meritorium,  
 quanto ex persona gratiore procedit. *Vt e- simile.*  
 nam, qui Regi valde gratus est, citius ab eo dona  
 impetrat, quam qui minus gratia apud eum  
 valet:



*Deo in bo-  
no opere à  
Deo spe-  
rari.*

1.

2.

*Matth. 5.  
Luc. 19.*

*Homilia  
in Psal. 114.*

*Lib. I. ad  
Monimum  
cap. 10.*

valet: sic & qui Dei benevolentiam nactus est, facile, quod volet, impetrabit. Duo etenim spectat Dominus in operum retributione: personam in primis, eiusque dignitatem, non seculari, sed eam quae ex Dei munere accesserit, illi est, Christi meritis. Alterum est opus ipsum, quod maxime mercedem meretur. Si personam spectes, retribuit Dominus unicuique prout quisque dignior est, seruat quodammodo ordine iustitiae distributivae, & praemiatur ultra condignum operis. Quod adeo verum est, ut contrarium damnarit Pius Quintus contra quendam, qui tenebant, opera bona iustorum non acceptura in die iudicii extremi ampliore mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere. Gaudete, ait Christus, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. & qui mnas decem lucratus est, constituitur super decem civitates, imo extraordinario munere & mna altera datur, quae à seruo infideli & pigro ablata est. Hinc deinde qui hora undecima venerant, non minus quam qui hora tertia, denarius diuinitus redditur. Denique Patres antiqui hisce suffragantur, inter quos Basiliius in illud, *Conuertimini anima mea in requiem tuam. Manet, inquit, vita sempiterna illos qui in hac vita legitime certaverunt non tamquam debitum operibus redditum, sed ob misericordiam misericordissimi Dei gratiam, in quo sperauerunt, exhibita.* & Fulgentius: *Gratia autem etiam ipsa non iniuste dicitur, quia non solum donis suis Deus gratia sua reddit: sed quia tantum etiam ibi gratia dicitur retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque*



effluat omne meritum, quantumvis bona & ex Deo  
ca humanæ voluntatis atque operationis, excedat.  
Ea quo similiter argumētari debemus: Si Deus  
premiat in cælo vltra condignum, id in via quo-  
que præstiturum sperandum est: quandoquidē  
bona cælestia ac retributiones ordinariæ gratiæ  
meritis respondeant. Quapropter, si à  
Deo persona admodum grata quippiam postu-  
lerit, daturus ille quidem sit, non modo ex  
parte iustitiæ, quæ dicit, *In qua mensura mensi-  
eritis, remetietur vobis: sed & addet, Mensuram  
bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluen-  
tiam date in sinum eius.*

Matth. 7.  
Luc. 6.

Quod ad opera attinet, respōdet quidem  
operi sua merces, quam Deus retribuit per mo-  
dum iustitiæ commutatiuæ: vt, quantum opus  
merit, tantum sit & præmium atque additio ad  
gratiam: tamen, quo persona simul dignior fue-  
rit, sanctior, eo gratius opus reputabitur. non  
quod sanctitas actū ipsum intrinsece faciat me-  
ritum: est enim personæ dignitas ornamen-  
tum dumtaxat accessorium operi: auget tamen  
meritum, quia vt inter homines beneficium  
obsequium eo malus censetur, quo carior est  
quo præstatur, idque secundum rectam ra-  
tionem: ita & a quod Deum. hinc sæpe diximus,  
gratiam condicionem esse necessariam, quæ ef-  
ficiat vt opera nostra Deo placeant. Vbi ergo  
maior gratia affulserit, gratiora opera reputa-  
buntur: cum etenim aliquid meremur, non tā-  
m opus ipsum in Dei obsequium offerimus,  
sed & nos ipsos: qui si sanctiores ac Deo gratio-  
res

*Operibus  
nostris et-  
iam respon-  
dere mer-  
cedem per-  
modum iu-  
stitiæ distri-  
butiuæ.*





res fuerimus, sane opus ipsum acceptius habet  
dubie habebitur: vnde D. Thomas docet, facti-  
tionem & meritum Christi fuisse infinitum et  
dignitatem personæ. Quare vbi maior dignitas  
ad amicitiam Dei pertinens, maius quoque con-  
get meritum.

*Per te 3. q.  
46. a. 6. Co.  
q. 48. a. 2.  
ad 3.*

*Industria 2  
Operis con-  
tinuatione  
augere gra-  
tiam.*

*Simile.*

*Continua-  
tio non fa-  
cit actum  
intrinsicè  
meliozem.*

*Psal. 9.*

*Psal. 20.*

*Luc. 1.*

37. Altera industria in operis continuatione  
consistit. Plus enim conficit operarius, qui tres  
dies quam qui vna hora laborat: & qui orat in  
tegra nocte pie ac religiose, quam qui quadra-  
te horæ: & qui se vitamque suam Dei obsequio  
consecrat ac mancipat, & ex hac destinatione  
agit, plus meretur, quam is qui ad paucos dies  
Deo seruit. Illud quidem verum est, con-  
tinuationem, si nulla in opere variatio aut ma-  
tatio accedat, actum non facere intrinsicè meli-  
orem: raro tamen accidit, quin feruor exerceat  
aut ipsius orantis agentisue excitatione aut  
misericordis visitatione. Præparationes con-  
nostri audit auris eius: & præsto adest vt præ-  
niat nos in benedictionibus dulcedinis eius  
tes impleat bonis, & mendicos ad ianuam  
largitione liberali accumulæ. Deinde etiam  
nulla fiat feruoris accessio, ac mutatio: *omnibus  
ratio tamen melior est secundum motum & b  
æstimationem, quia longiori spatio co-  
stet, ac diutius bonitatem suam retinet: *com  
ut in opere malo continuatio auget demeritum.**

*Industria 3  
Breues ora-  
tiones ad o*

38. Quod si quis beneficio temporis carere  
præstabit opera aut eadem identidem repetere  
aut diuersa multiplicare. In duobus enim  
modo



Illius sunt duæ PERFECTIONES, duo <sup>per a singu-</sup>  
 conatus, duo influxus, duæ substantiæ, duæ li- <sup>la adhiben-</sup>  
 berates, duæ attentiones, posterior priore no- <sup>da.</sup>  
 bilior & auctorior: in operum enim multiplicatio-  
 ne plura sunt merita, plura incrementa. quæ qui-  
 dem consideratio egregie eos monet, quib. diu-  
 tius per otium non vacat aut orationi aut aliis  
 operibus insistere, sæpius ad Deum recur-  
 rit per orationes iaculatorias, actusque Carita-  
 tivos, quibus Deo super omnia placere de-  
 berent. Hæc autem industria maximi momen-  
 ti & incredibilis vtilitatis est, & magis ex vsu  
 quam ex theoria perspicitur. Hanc Sancti secta-  
 bant: & nominatim Maria Ogniacensis, quæ  
 scribit Iacobus à Vitriaco, S.R.E. Cardinalis) <sup>In vita</sup>  
 diem & noctem millies & centies flectens genua <sup>eius lib 1. c.</sup>  
 adorabat B. Virginem, atque admirandum hoc & in- <sup>9.</sup>  
 numerabile salutandi genus & officium ad quadraginta <sup>Vide Sur-</sup>  
 annos continuebat. Primo autem in spiritu vehementi, si <sup>tomo 3. ad</sup>  
 intermissione, sexcenties flectebat genua: deinde inte- <sup>23. Iunij.</sup>  
 rum Psalterium stans legebat, ad singulos Psalmos  
 beatissima Virgini flexis genibus Angelicam salutatio-  
 nem offerens: tertio, austro flante vehementius, trecen-  
 tibus ad singulas genuflexiones virga se percutiens  
 & beatissima Virgini prolixo martyrio se immola-  
 re. Tribus autem vltimis ictibus tanquam ad alio-  
 quod condimentum copiosum è suo corpore extraheret  
 sanguinem. Tandem quinquagies flexis simpli-  
 ter genibus sacrificium consummabat. Hæc

Quarta industria in feruore atque inten- <sup>Industria</sup>  
 tione actionis consistit. Vt enim plus viæ cõficit <sup>4. Feruor</sup>  
 qui <sup>ac intensio</sup>  
 auget



*meritum.**Simile.**Actus in-  
tense causa  
dua.*

qui pernici equo, vel naui in rapido flumine, vel pedes quidem, sed perpetuo cursu viribus fauentibus aliquo contendit: quam qui communi passu ambulat: sic & qui cum ardore magnoque conatu opera sua conficit. Vis autem illa contentions ex duplici pendet capite. unum enim parta gratia tantummodo quis virtutis, atque habitu virtutis, cuius opus exequitur: ut qui ex tota habitus latitudine opus perficit, ille celeriter atque intensissime currere dici debet, quia maiores illi vires non suppetunt, ut de per-

*Thomas à  
Kempis li. 2  
ca. 9.*

tur, non modo celeriter, sed celerrime vocatur. Bene dixit, qui dixit: *Satis suaviter curat, quem gratia Dei portat.* sed satis non dixit, quoniam nim non tantum suaviter, sed & faciliter accelleriter ambulat, non suis, sed alienis & perhibet & viribus. Accedente ergo gratia Dei per viam, actualique auxilio, cum habituali, tantum augetur gratia quantum potuit habitus vires suppetitare, sed longe amplius, in intensiorem actus superueniente auxilio extensi-  
tati.

*Cautio in  
feruore ser-  
uanda.*

40. Sed in cursu modus esto. Qui celeriter incedit quam vires ferant, illico fatigatur, ac deorsum præcedentes à tergo sequitur. Modus ergo cursus & feruoris est latitudo ac amplitudo habitus virtutum quas exercemus, aut accellimus nouæ gratiæ visitantis. Qui amplius nititur, citius comminuit ac fatigat, citoque deficit. Quare requiritur in primis prudentia, bonusque director, à quibus tiro pendeat: saepe namque



...ulatio & nonnulla superbia nos impellunt,  
 ...piamus plusquam oporteat sapere, & a-  
 ...amus ultra vires: hinc valetudo corporis læ-  
 ...tor, caput offenditur, labascunt vires, deni-  
 ...que animi desperatio & hastam & clypeum a-  
 ...uocare, omnia bona exercitia relinquere, ad  
 ...torem viuendi rationem redire compellit.  
 ...care *Ne sutor ultra crepidam.* Deum oret vt  
 ...quam actualement addat: operetur cum humili-  
 ...re, & sensim crescat, imperfectum suum co-  
 ...pescens, *ne in superbiam elatus in laqueum incidat*  
 ...labali, & desideria nociua, qua mergunt hominem in  
 ...meritum. Sat cito, si fat bene.  
 ...Fructus huius feruoris in clibano vitro, *Feruoris*  
 ...quo vi ignis eliquatur aqua, optime cogno- *ac meriti*  
 ...tur: cum enim vel pulli, vel herbarum, vel vi- *pulchra se-*  
 ...stantiam igne supposito elicere niteris, si *militudi-*  
 ...nis exiguus fuerit, parum admodum facies: *nes.*  
 ...plus æquo adhibeas, rem ipsam consumis: si *I.*  
 ...quæ ac sufficientem, efficis quod optas: è col-  
 ...turbinis seu clibani in excipulum guttatim  
 ...at etiam vbertim defluit pretiosus liquor, pro-  
 ...ignis inuenerit distillationis materiam. Et  
 ...distillandi artem spirituale discamus oport-  
 ...si pretiosum illum liquorem in animos no-  
 ...os eliquari velimus. Materia sunt vel præce-  
 ...ta virtutum, vel consilia: ignis est Caritatis fer-  
 ...or: qui si exilis sit, parum eliquatur: si æquo in-  
 ...ensior, operantem conficit: si æquus ac suffi-  
 ...ens, optimum liquorem in animos nostros di-  
 ...llat, quod meritum operis esse diximus, & au-  
 ...mentum gratiæ ac virtutis.

1. Tim. 3.  
1. Tim. 6.

RECITATION

1. Tim. 3.

1. Tim. 6.





*Similitudo* 2. Id etiam videre est in ipso ardore ac diligentia qua apes mellis fauos conficiunt: perpetuo operantur: nunc sugunt è floribus, nunc in alvearia reportant, nunc denique mel ceramque concinne recondunt, ita copiose, ut fructus facile diligentiae ac feruori respondeat. Huius mellis copia cum in morum suavitate, tum in sermone sese manifestat, ut mel potius ex ore hominis, quam verba, fluere videatur. hinc de sponsa Sponsus prædicat: *Fauus distillans labia tua sponsa: mel & las sub lingua tua.*

*Cant. 4.*

*Similitudo* 3.

Denique ignis præpotens aliter populatur quam paruus: omnia namque in seipsum cõuerit omnia inuadit & occupat. Sic & Caritatis ardor incendit animum, eiusque omnes facultates serpit in corpus: manus, pedes, os, linguam inuadit & occupat: plusque ex quo spatio sibi vendicat, quam languidus animus multis annorum stetit.

*Industria* 42.  
*Animi libertas auget meritum.*

Feruorem ampliolem sequitur industria quinta, quæ in libertate consistit: ut enim deus libertatis omnem tollit rationem meritæ ac virtutum minuit. Martyr non est, qui tyranno raptatus occiditur, si mori noluit pro Christo: nec ille Christianus est, qui inuitus coactus baptizatur, aut dormiens, si ante non erit: sicut nec homicida, si manus repugnantis homicidium impellitur. Minus etiam peccator qui consiliis grauique tentatione pulsatur, ad peccatum inducitur. Sic & qui à Deo prouenitur, omnino nihil meretur, si non aduertat.



non acquiescat. Si aduertat, & gratiam exci-  
 pit, sed affluenti consolatione impulsuque  
 sequatur, meretur quidem sed tamen ille am-  
 plius, qui sese ad agendum sine tali impulsu  
 promouet, ceteris tamen paribus. Dixi de ex-  
 terno impulsu tam ad opus virtutis quam pec-  
 cati: si enim ab interno habitu, piaque agendi  
 consuetudine, propensio ac facilitas illa oritur,  
 voluntaria est: ingenerauit enim quisque ac pe-  
 cavit in se habitum hunc ac facilitatem. sicut il-  
 li, qui assuetudine peccandi rapitur ad turpi-  
 tudinem perpetrandam, vis illa ac necessitas  
 non excusat: quia ipsam voluit tota libertate, ac-  
 que actibus plurimis & maxime voluntariis pro-  
 portionem illam acquisiuit: Idem dicendum  
 de votorum obligatione: ea enim libera est,  
 quisque sibi mea necessitatem spontanee in-  
 iungit. Quare consilia, operaque supereroga-  
 nis, summum habent momentum in hoc ge-  
 nere, quia summa libertate fulciuntur.

Industria sexta est, quæ ardua ac difficilia  
 aggreditur, ac conatu superare nititur,  
 illo namque ascensu vt laudis, ita meriti plu-  
 tum inuenitur.

Oriri vero difficultas potest ex quatuor se-  
 pentium capitum aliquo vel pluribus: nempe  
 ex natura operis: vel ex eius, qui operatur,  
 imbecillitate: vel ex praua consuetudine: vel  
 ex tentatione quæ à voluntate operan-  
 tis non pendeat. Primum enim quædam ar-  
 dua sunt ex natura sua ac difficilia opera, quæ  
 nostræ naturæ imbecilliori repugnant;

Ll 4 quale

*Opera quæ  
 ex voto la-  
 toq; habitu  
 sunt, cete-  
 ris magis  
 meritoria  
 sunt.*

*Industria.*

*Operum  
 difficultas  
 qua oritur  
 ex qua-  
 tuor capi-  
 tibus.*

I.

*Ex operis  
 natura.*



quale esset, pane & aqua vitam sustentare, parētes deserere, abdicare à se bona omnia, Christum nudum sequi, vitam cælibem domitæ carne sectari. De his dici potest: *Difficilia que pulchra*. Hæc enim omnia spiritualem suppellectilem augent incredibiliter.

2. Imbecillitas iuuat, si voluntaria non fuerit, plus enim meretur, qui cum aliqua debilitate ieiunat, quam robustus: & qui duos obolos, cum plures non habeat, dat indigenti, quam opulentus qui viginti. Qui tamen tua culpa, ut ebrietas, aut bonorum decoctione, imbecillis est vel ad ieiunandum, vel ad largiendum, is parum ex hoc capite promoueret lucri spiritualis modum, quia sese sponte in eam necessitatem induxit.

3. Ut consuetudinis repugnantia non obstat (nam difficultas illa ex inordinatione orta debet praua consuetudo, & inordinatio, facta que omnia è quibus ea ortum habuerunt, improbari: & qui male affectus ac propensus facti pœnitere.

4. Idem de tentatione dicendum est: sunt enim que nonnulli, qui tentationi nimium indulgent, eique diutius aurem præbent, vel occasione. Illa sane obest plurimum, quæ si constanti propellatur, nullaque occasio præbeatur, facta constantisque est animi, ea excussa opus aggredi, inuito dæmone, carne, & omnibus aduersariis. In quo solari se debent, qui, sæculi fugaverunt, ad sanctam solitudinem confugerunt, occasionem omnem luctæ præscindentes.



quos si deinde hostis aggrediatur, vtilius confecta buntur, quam si in sæculo remansissent, in quo luctam ipsam probare velleque censerentur, vt mundi sectatores velle censentur tentationum occasiones: imo vel quærunt ipsi, vel, cum possint, non remouent. Tanti fit hæc *Apoc. 3.* pugnandique ratio, vt talibus magna Deus promittat. *Qui vicerit, ait, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.*

4. Septima industria suadet, vt, qui potest *Industria* multum, abundanter tribuat, ac se liberalem *Liberalis & profusa opera-* profusumque Deo exhibeat. Ita filium monuit *tio.* Tobias: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertis. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Huc accedit D. Pauli exhortatio: *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Quantitas vero hæc interdum ex inopia & necessitate accipientis consideratur: quæ largitio magna putanda est, si tota, eaque vrgens vel extrema leuetur inopia, vel etiam superetur: magna est, si summa ex se notabilis fuerit: magna item, si is cui tribuit, etsi parum tribuat, aliquid commotis suis & necessitati detrahit, vt alterius necessitatem subleuet: & plura tribueret, si suppetent: qualis fuit vidua Evangelica, quæ in duobus minutis totam substantiam largita est: plura datura, si habuisset. Ille profusissime tribuit, qui nihil sibi referuat. *Si fuerit atur Domino, qui* *Prou 19.*



miseretur pauperis : quanta negotiatio est, omnia sua Domino tanto concedere! Nec attendit quantitatem, sed profutam voluntatem: *Sic enim, ait Apostolus, voluntas prompta est: secundum id, quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet, Dat etenim quod habet, & nihil retinet, ne quidem habendi voluntatem aut potestatem qui est supremus liberalitatis gradus. Quare non immerito supremum etiam præmium reportat, auctore Domino, qui ait: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Sed prius in animo hunc thesaurum recipiet, iuxta Regium Prophetam: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.*

2. Cor. 8.

Matth. 19.

Psal. 111.

Obiectio.

Responsio.

45. Nec est quod quispiam obtendat quantitatem operis externam esse: metiendum valorem, & petendum ab animo, cum externi actui interno nihil addat dignitatis, & à forma ac fine nobilitas operis pendeat: quia qui dat aureos centum, agit etiam interne, non minus quam is qui dat quinquaginta tantum. quanto prior largitio, si par sit in intensione ac fervore, plus æstimari debet, estque posteriore nobilior; primum quia difficilius est dare centum aureos quam quinquaginta, ideoque contra repugnantiam exurgentem conatu ac labore maius opus est, quod & actum facit meliorem. Sed sint paria omnia: qui centum ex Caritate largitur, finem non minus nobilem intendit quam qui quinquaginta ex eadē: sed plus tribuit, estque res illa præstantior quam altera; bonitas nam-



namque finis tota sese communicat toti huic  
 summæ ampliori. Nec sic considerata res est  
 tantum indifferens, qualis est thesaurus: sed e-  
 nitur ad dignitatem quandam supernatura-  
 lem, qua informatur: effectumque habet nobi-  
 liorem ac maiorem, sicut & opus ipsum maius  
 fit & dignius. Ponete offerre agnum Domi-  
 ni in sacrificium, & ego offeram agnum immo-  
 lum noui Testamenti: ceteris paribus, sa-  
 crificium meum nobilius est tuo, etiam si in so-  
 luter materia constituitur discrepantia: quia me-  
 ius est Christus agno. & centum millibus ducato-  
 rum plus utilitatis adfertur rei publicæ, & ad  
 Dei honorem, quam quinquaginta: unde præ-  
 tium maius ac melius respondere debet. ma-  
 ioremque pœnam meretur, ob maius pecca-  
 tum, qui centum millia, quam qui quinquagi-  
 natos furto abstulerit.

Huic proxima industria est, vt Deo obse-  
 quamur ex optimo operationum genere. Sunt  
 enim opera alia aliis meliora, non tantum ra-  
 tione materiæ subiectæ, sed etiam finis. Nobi-  
 lius sacrificium altaris, quam donum aliquod  
 templo oblatum: melius docere ignorantes  
 quam mortuos sepelire: dignius deuote con-  
 templari, quam cibis abstinere. Si materiam spe-  
 ciales, sunt & formæ aliæ aliis digniores: spei  
 namque dignior forma quam fidei, & fortitudi-  
 nis laudabilior quam sobrietatis: denique Cari-  
 tas ceteris virtutibus antecellit, quia nobilissi-  
 ma virtutum est: eiusque finis propius, & ex-  
 cellentissimo modo in hac vita possibili, & ob-

EX-

*Industria*

8.

*Optimum  
operationis  
genus.*



excellentissimam rationem Deum attingit infinite bonum & perfectum, ac tuncq; hominem Deo coniungit, quam ceteræ virtutes: ideo maior nobis utilitas ac fructus ex ea accedit. Ille ergo operæ pretium facit, qui omnes suas hac tam nobili forma inuestit ac informat actiones: nec modo humanas, sed etiam supernaturales, ut sunt oratio, humilitas, fidei ac spei, continentie, iustitiæ, ac temperantiæ functiones atque officia.

*Finis exterior bonus nouam bonitatem actui tribuit.*

Actus namque moralis ex obiecto bonus, vel etiam supernaturalis, si simul referatur ad finem extraneum, qui distinctam habeat honestatem, nouam bonitatis rationem recipiet, etiam retenta priore: ut qui ex misericordia videt pauperem, primum quidem ad subleuandam inopiam, tollendamque miseriam, quod ex bonum honestumque est; si id ipsum Christum more faciat, tamquam ipsi Christo, adicit operari nouam bonitatem finis, qui forma actus illius est, & per se sufficiens ut bonitatem ei conferat à nullo namque impeditur, quo minus ea impertiat. Quid enim? qui furatur ut adulterum committat, magis adulter est quam fur: non minus vero est efficax intentio finis honesti circa bonam electionem, quam mali circa malam. Qui igitur Eleemosynam dat ut Deo placeat, magis Dei amans dicendus erit quam misericors.

*Simile.*

*Fines varij honesti in unica actione.*

Nec finis iste nobilior alium actum proprium excludit: quia honestas honestati non repugnat. Qui enim vestit nudum, vere subleuat nudum.



bonitatem: nihilominus non impedit quo mi-  
 nus id ipsum in Deum referat. Vt quæ mater alit-  
 erum, honeste facit: si vt ipse parentis senectute  
 fulciat, rursus honeste agit: sed hoc ipsum  
 desiderat, vt, occupatus officii pietatis erga pa-  
 rentem, o ium fugiat: ne deinde cū soluta iuuen-  
 te corrumpatur: vltius optat, vt hac oportu-  
 nitate virtutem ac studia capessat: ad quid? vt  
 publicam iuuet: pergit in optatis, vt laben-  
 tem religionem virtute operaque fulciat, & ma-  
 xime quidem, si ita Deo visum fuerit, in statum  
 PERFECTIIONIS: denique sese Deo per  
 omnia consecrat ac voueat: & si fieri potest,  
 vtilium, tamquam altera Machabæa, hostiam *2. Macb. 7.*  
 pro martyrium factam aliquando videat. Om-  
 nes isti fines non impediunt sese: fitque actus ta-  
 n nobilissimus, omnesque omnium actuum,  
 in hoc vnico concluduntur, bonitates ac di-  
 uinitates includit ac complectitur. Quādo Chri-  
 stus paut quinque hominum millia, intende-  
 re non solum illorum famem depellere, & sanos  
 conseruare? Nequaquam: omnes paut cor-  
 poraliter, sed pascere intendebat spiritali cl-  
 ipe fidei, eorumque animas Patris sui obse-  
 quijs adiungere: item vt Patris voluntati sese  
 conformaret: denique vt gloriam eius promo-  
 ueret: ideo nobiles erant omnes Christi actio-  
 nes: quem & nos imitari conuenit, si vtiliter  
 mercari, si diuitiis crescere, si perfici  
 cupiamus.